

V.

**HODIE QUOQUE SERVATUR
DIFFERENTIA INTER DECIMAS ECCLE-
ASTICAS ET SÆCULARES QUOAD REPA-
RANDAS ECCLESIAS.**

Hic non immorabor generalibus principiis passim à Canonistis ad titulum de Eccles. ædific. vel repar. tradere solitis, quod scilicet Ecclesia è propriis redditibus, sive hi hactenùs pro fabricâ fuerint specialiter asservati, sive Parocho ultra suam congruam, sive aliis relicti, debeat excitari. Quodque huc etiam Decimæ Ecclesiasticæ pertineant; ulterius, quod redditibus ejusmodi Ecclesiasticis deficientibus illis de Communitate, qui in Ecclesiâ sacrâ participare solent, & siceis, qui non sunt forenses, hæc obligatio incumbat, quique collatis proratâ pecuniis Ecclesiam reparare teneantur. Sed hic tantum observo generali consuetudine Galliarum & Belgiorum vid. ESPEN. part. 2. tit. 16. Cap. 5. §. 26. & Dicecefeos Moguntinæ observante PICHLEO lib. 3. tit. 48. *Summ. Jur. Canon.* n. 4. & nobis quotidie videntibus id pro regulâ obtinere, quod navis Ecclesiæ cum turri, Campanis & horologio ad onera communitatis pertineat, utpote quæs unice navis Ecclesiæ ad necessitatem, turris ad decorem Campa-

D

næ,

næ, & horologium ad utilitatem inserviunt ; contrâ chorus utpote proprius Cleri locus redditibus Ecclesiasticis unicè relinquatur , & quidem quia ut plurimum Parochi ultra congruam non multum solent esse beati , refectione & ædificatio Chori unicè Decimatoribus imponatur. Verùm Decimæ sacerdtales hic planè in computum non veniunt. Quamvis aliqui Decimatores sacerdtales pari cum Decimatoribus Ecclesiasticis passu ambulare debere vellint , communiore tamen Canonistarum calculo eorum sententia approbatur , quæ Decimas sacerdtales catenùs immunes pronunciant. vid. ZYPÆUS *Consult. Canon. lib. 3. tit. de ædificand. Eccles. consult. 1. n. 6. 8. 9. 10.* nec non lib. 3. tit. De Parochiis *consult. 4. n. 2.* ANDREAS VALLENSIS *paratitl. Jur. Canon. tit. de Eccles. ædific. §. 2. n. 3.* CASPAR. MANZIUS *in appendic. Dec. Palatinar. q. 5. n. 12.* usque ad fin. SCHMALZGRUBER *ad Jus Canon. h. t. n. 56. & 57.* PICHLER *ad Decretal. h. t. n. 5.* PYRRHING *eod. tit. n. 18.* NICOL. EVFRHARD junior *vol. 2. consil. 35.* & in WERNLE *tract. Bom Behend Recht append. resp. 9. fol. 220.* & seqq. quam sententiam etiam facultas Juridica Hallensis in BOEHMER Tom. 1. consultat. respons. 4. & Tübingeris in SCHWEDERI vol. 2. disp. in append. appro-

approbat. Nec minus vicariatus Archi-Episcopalis Moguntinus in sententiâ de Ann. 1738. Martii 13tiâ & Anno 1741. 4tâ Maji in ESTORS *Anfangs-*
Gründen des gemeinen und Reichs-Proceß. s. 2433.
& 2434. Nec non in sententiâ 20mâ Maji 1756.
in Causâ Appellationis Herbipolensis Abbatiae in
Schöenthal contra communitatem & Parochum in
Marlach idem principium confirmârunt.

VI.

SÆCULARES DECIMIS INVE-
STITI, EAS IN QUALITATE DECIMARUM
SÆCULARIUM TENENT, ADEOQUE AD
REPARATIONEM ECCLESIARUM
NON OBLIGANTUR.

Quando sacerdotalis à sacerdotali Decimis est investitus, quod tunc omnis qualitas Decimæ Ecclesiasticæ exulet, vacat dubio; Ast quando Dominium directum est penes Ecclesiam, tunc potissimum quæstio oriri solet, an tales Decimæ, quo-
usque nexus feudalis perdurat, qualitate Ecclesiasticâ sint affectæ, nec ne? circa cuius quæstionis resolutionem præviè observandum est, fuisse tempora, queis Prälati pro lubitu circa bona Ecclesiastica versati, eásque facillimè alienare præsunebant.